

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.
16 S 14

INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXXXVI

INDE A DIE XXVIII. MENSIS APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEMISSA EST DE INTELLECTU SECUNDUM S. ANSELMUM FIDEM PRAECEDENTE COMMENTATIO A G HAGEMANN CONSCRIPTA.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

86

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS S. D.

GEORGIUS HAGEMANN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR EIUSDEMQUE PROFESSOR P. O.

Medii aevi philosophiam, quam vocant Scholasticam, recentioribus aetatibus plerumque ignoratam, despectam, explosam fuisse, inter omnes constat. Alios ut praetermittam vituperatores Diderot eam vocat vulnus rationis humanae maximum.[1]) Atque nostra aetate Hegelio medium aevum non tam progressus quam regressus in vero inquirendo fecisse visum est.[2]) Negari quidem non potest, hisce nostris temporibus medii aevi cum ceteras literas artesque tum philosophiam quo diligentius investigentur, eo pluris aestimari. Restat tamen apud multos praeoccupata opinio, Scholae philosophos, cum fere omnes theologi fuerint, veram atque genuinam non tradidisse philosophiam, sed fidei dogmatibus coercitos non tam rationis solius lumen quam dogmatum regulam esse secutos. Unde hanc philosophiam cum nullam sibi propriam provinciam habuerit, scientiae dignitate caruisse, fuisseque „philosophiam in servitutem theologiae Papeae redactam.“[3])

---

[1]) „Cette philosophie a été une des plus grandes plaies de l'esprit humain.“ Diderot, oeuvres t. XIX, 372.

[2]) „In solchen Zeiten (exeunte sc. medio aevo) erscheint der Geist, als ob er, der vorher einen Schneckengang in seiner Entwicklung, Rückschritte gethan, sich von sich entfernt hätte, die Siebenmeilenstiefel angelegt habe.“ Hegel, Geschichte der Philos. III, 266.

[3]) Heumann, praef. ad libr. Tribbech. de doctor. schol.

Cum ceteris tum illi ipsi, quem patrem et ducem Scholae doctorum recte nominaveris, S. Anselmo vitio vertunt, quod hoc philosophiae in theologiae servitutem redactae genus induxerit, quippe qui nisi a fide exorsum ad scientiam se pervenire posse negaverit. Quae cum ita sint, operae pretium videtur breviter inquirere, S. Anselmus utrum rationem humanam omnino a fide dependere voluerit, an propriam ei provinciam concesserit, sive statueritne rationis cognitionem solam, quae sequatur, an etiam, quae praecedat fidem.

Quicunque S. Anselmi scripta obiter pervolverit firmam eius sententiam fuisse opinabitur, rationem humanam nisi praecedente fide ad verum cognoscendum procedere non posse. „Neque enim," inquit,[1]) „quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo quia nisi credidero, non intelligam." Atque in epistola ad episcopum Belvacensem Fulconem contra Roscelinum scripta haec habet: „Christianus per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere, aut si intelligere non valet, a fide recedere."[2]) Intellectui medium locum attribuit inter fidem et speciem seu visionem Dei: „Quoniam inter fidem et speciem intellectum, quem in hac vita capimus, esse medium intelligo, quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum appropinquare speciei existimo."[3]) Praeterea S. Anselmus iterum et saepius affirmat, nullam rationis cognitionem veram ratamque se putare nisi consentiat cum revelatione divina. „Si quod dixero," inquit,[4]) „quod maior non confirmat auctoritas, quamvis illud ratione probare videar, non alia certitudine accipiatur, nisi quia interim mihi ita videtur, donec mihi Deus melius aliquo modo revelet. Certus enim sum, si quid dico, quod s. scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero." Ex his luce clarius videtur apparere, S. Anselmum rationi humanae pro-

---

[1]) Prosl. c. 1. (Opp. ed. Gerberon, 2. ed. Paris 1721.)

[2]) Epistolar. lib. II. epist. 41.

[3]) De fide trinit. praef.

[4]) Cur Deus homo. c. 18.

priam cognitionis provinciam non attribuisse, sed eam omnino subdidisse fidei auctoritati.[1]) Sed nihil magis alienum a vero. S. Anselmo sicut ceteris medii aevi doctoribus totum literarum regnum duabus continebatur provinciis, quarum una complectebatur omnes illas res, quae sola ratione duce intelligi possunt, altera vero illas, quae a Deo praeter naturae ordinem hominibus revelatae ratione humana non perspiciendae sed sola fide sunt tenendae. Atque omnes quidem res rationis solius inquisitioni pervias ad philosophiam, omnes vero revelantis sese Dei auctoritate innixa fide perceptas ad theologiam pertinere censebant. Praeclare atque accurate duas illas cognitionis humanae provincias exponunt atque circumscribunt Doctores decimi tertii seculi ac maxime S. Thomas,[2]) neque tamen dubitari licet, quin S. Anselmus in eadem fuerit sententia. Affirmat enim expresse, hominem proprii ingenii viribus multa vera cognoscere posse. „Si quis," — ita incipit Monologium — „unam naturam summam omnium, quae sunt, solam sibi in aeterna beatitudine sua sufficientem, omnibusque rebus aliis hoc ipsum, quod aliquid sunt, aut quod aliquo modo bene sunt, per omnipotentem bonitatem suam dantem et facientem aliaque perplura, quae de Deo sive de eius creatura necessario credimus, aut non audiendo et non credendo ignorat, putat, quia ea ipsa ex magna parte, si vel mediocris ingenii est, potest ipse sibi saltem sola ratione persuadere."[3])

---

[1]) Non modo Scholasticorum obtrectatores verum etiam fautores de hac re in errore versantur. Ita Marret (Theodicée chretienne ou comparaison de la notion chretienne avec la notion rationaliste de Dieu, p. 59) haec habet: „Ce qui me parait caractèriser la méthode d'Anselm, c'est un retour à la philosophie des anciens pères, a cette philosophie, qui part de la foi, prend dans la foi son principe et sa regle et cherche à s'élèver a l'intelligence des vérités acceptées par la foi: fides quaerens intellectum." — Atque illa quoque, quae Moehler (Gesammelte Schriften u. Aufsätze I p. 138 sqq.) de rationis et fidei consortio secundum Anselmum exposuit, speciosius quam verius cogitata videntur. Quod enim dicit, Anselmo religionem christianam eandem fuisse atque veram philosophiam, rationem humanam nisi fide duce non excoli, theologiam quam vocant naturalem, reiiciendam, et quae sunt alia eiusmodi, probari non potest.

[2]) Cf. S. Thomas summa contra gentes c. 4—5.

[3]) Cf. cont Gaunil. c. 8.

Cum igitur S. Anselmus soli rationi vim veri intelligendi attribuerit, jam accuratius nobis haec rationis vis atque dignitas est investiganda, seu veri cognitio, quae fidem praecedat, inquirenda.

Quisquis veras res solius rationis inquisitioni pervias esse contendit, ante omnia rationem verum cognoscere et pro certo habere posse persuasum debet habere. Quod qui negat, omnino scepticismum incurrit, neque rationi quidquam veri cognoscendi vim concedit. Qua de re quid senserit S. Anselmus, facile est intellectu. Persuasum quidem habet rationem humanam errori obnoxiam, tenebris involutam, instabilemque esse. „Intendit se (anima) ut plus videat et nihil videt ultra quod vidit, nisi tenebras.“[1]) „Instabilis mens mea et vere ab omni bono vacua, cito labitur ad inania et noxia velut palea, quam levissimus fluctus venti exsufflat de area.“[2]) Atque verum non esse affirmat nisi in solo Deo. „Quam ampla est illa veritas in qua est omne quod verum est et extra quam non nisi nihil et falsum est!“[3]) Ex his vero si quis colligeret, S. Doctorem rationem humanam ad verum cognoscendum aptam negasse, vehementer erraret. Ratione enim qua Dei angelorumque similis efficitur[4]) praeditus homo potest discernere verum a falso sicut bonum et iustum a non bono et non iusto. „Rationali naturae,“ inquit,[5]) „non est aliud esse rationalem quam posse discernere iustum a non iusto, verum a non vero, bonum a non bono, maius bonum a minus bono.“ Deinde ratione sola homo potest diversa inter se comparare atque alia colligendo ex aliis in vero investigando proficere. „Est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum.“[6]) Accedit, quod anima humana imago

---

[1]) Prosl. c. 14.

[2]) Medit. 19, 7.

[3]) Prosl. c. 14.

[4]) Rationalis natura non est nisi Deus et Angelus et anima hominis per quam homo dicitur rationalis et sine qua non est homo. De conc. virg. et orig. pec. c. 3.

[5]) Monol. c. 68. cf. Cur Deus homo, II, 1.

[6]) De conc. praed. cum lib. arb. Q III. c. 11.

est Dei unius trini, imago igitur eius qui est summa veritas. „Nam si mens ipsa sola ex omnibus, quae facta sunt, sui memor et intelligens et amans esse potest, non video cur negetur esse in illa vera imago illius essentiae quae per sui memoriam et intelligentiam et amorem in trinitate ineffabili consistit. Aut certe inde verius esse illius se probat imaginem, quia illius potest esse memor, illum intelligere et amare“[1]) Mens igitur humana, cum sit eius qui est summa veritas imago, ipsa quoque verum cognoscere possit oportet. Quin etiam hac ipsa de causa veri cognoscendi facultate fruitur, quia Dei imaginem prae se fert. „Et quamvis omnis creatura te laudet, te creatorem suum et gubernatorem esse reclamet, tamen non omnis creatura te intelligit, nisi tantummodo rationalis et quam fecisti ad imaginem et similitudinem tuam.“[2])

Ex his evidenter apparet, mentem secundum Anselmum sola rationis luce adiutam ad verum percipiendum aptam esse, neque minus dubitari licet, quin non modo veram, sed etiam firmam certamque cognitionem possit acquirere. Ratio ut de aliqua re cognita sit certa, argumentis commota ita assentiatur oportet, ut omne de eius veritate dubium excludatur. „Verum tamen si vel una de omnibus, quas posui, (rationibus) inexpugnabili veritate roboratur, sufficere debet. Sive namque uno sive pluribus argumentis veritas inexpugnabiliter monstretur, aequaliter ab omni dubitatione defenditur.“[3]) Cuiusmodi firmam ab omni dubio alienam assensionem ut assequatur, mens saepenumero diiudicando et colligendo rem certam demonstret necesse est. Quod ut possit efficere, cogitandi norma atque regula opus est, quae artis logicae quasi quoddam fundamentum est. Quae quidem regula contradictionis quod vocant principio continetur. Quisquis igitur menti certae cognitionis dignitatem attribuit, illud principium ante omnem inquisitionem certum non potest quin statuat. Atque

---

1) Monol. c. 67.
2) Medit. III. cf. Monol. c. 66.
3) Cur Deus homo I, 24.

S. Anselmus quidem de hac re quid cogitaverit, satis aperte docet: „De una quippe et eadem re non est vera simul affirmatio et ejus negatio.“ [1]) Deinde omnis eius argumenti ontologici et demonstratio et contra Gaunilonem defensio nititur illo principio.“ [2])

Jam cum in mente humana verae certaeque cognitionis facultatem inesse probaverimus, quas potissimum res possit cognoscere videamus. Veritas rei nihil aliud est, nisi ipsa essentia eius, quam S. Doctor bene rectitudinem nuncupat, quoniam quaecunque existunt, cum a summa essentia suam existentiam et essentiam ducant, propterea recte se habent, quod ita sunt sicut Deus ea esse voluit, eique conformia sunt. Una est veritas absoluta, omnium aliarum causa et norma. [3]) Menti igitur quippe quae possit et cupiat verum cognoscere, omnibus locis res verae occurrunt. Atque primum quidem se ipsam percipit „Mens ipsa sola ex omnibus quae facta sunt, sui memor et intelligens et amans esse potest.“ [4]) Cumque sit imago Dei, quo magis se ipsam perspicere studet, eo efficacius ad summae veritutis cognitionem ascendit. „Patet igitur, quia sicut sola

---

[1]) De fide trint. c. 3.

[2]) „Si ergo id quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, quo maius cogitari non potest, est, quo maius cogitari potest, sed certe hoc esse non potest.“ Prosl. c. 2. „Nihil quamdiu esse scitur potest cogitari non esse.“ Lib. apol. c. 4. cf. ibid. c. 2. cf. Dial. de verit c. 3: „Ad hoc namque nobis datum est posse cogitare esse vel non esse aliquid, ut cogitemus esse quod est et non esse quod non est.“

[3]) Cf. Dial. de verit. c. 7. et 10. Magno in errore versatur X. Rousselot, (études sur la phil. dans le moyen-age. I, 215) cum Anselmum sicut Erigenam unam omnium communem essentiam et veritatem statuisse putet. L'unité de substance, tel est donc le principe ontologique de notre philosophe; l'unité domine tout, et c'est à elle qu'il faut tout rimaner; le beau, le bon, le grand participent d'un idéal . . .“ Identidem demonstrat S. Doctor, unam esse essentiam non omnium communem, sed omnium aliarum causam creatricem. „Quoniam ergo cuncta quae sunt, sunt per ipsum unum, procul dubio ipsum unum est per se ipsum. Quaecumque igitur alia sunt, sunt per aliud, et ipsum solum per se ipsum. At quidquid est per aliud, minus est quam illud, per quod cuncta sunt alia et quod solum est per se.“ Monol. c. 3. cf. ibid. c. 7. Dial. do verit. c. 10.

[4]) Monol. c. 67.

est mens rationalis inter omnes creaturas, quae ad eius investigationem assurgere valeat, ita nihilominus eadem sola est, per quam maxime ipsamet ad eiusdem inventionem proficere queat. Nam . . . haec illi maxime per naturalis essentiae propinquat similitudinem. Quid igitur apertius, quam quia mens rationalis, quanto studiosius ad se discendum intendit, tanto efficacius ad illius cognitionem ascendit, et quantum se ipsum intueri negligit, tanto ab eius speculatione descendit."[1]) Atque cognoscit mens se ipsam esse substantiam immaterialem,[2]) immortalem,[3]) principiumque quod vocant vegetabile, sensibile, rationale,[4]) inesse denique totam in singulis corporis sui membris.[5]) Mens autem non modo se ipsam intelligit, verum etiam res sensibus obvias. Sensus quidem saepe nos fallunt, licet eiusmodi erroris causa non tam in sensibus quam in intellectu sit posita. „Non mihi videtur haec veritas vel falsitas in sensibus esse sed in opinione. Ipse namque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior, quod aliquando facile cognoscitur, aliquando difficile. Cum enim puer timet sculptum draconem aperta ore, facile cognoscitur quia hoc non facit visus, qui nihil aliud puero renuntiat, quam senibus, sed puerilis sensus interior, qui nondum bene scit discernere inter rem et rei similitudinem. . . . Similiter cum fustis integer, cuius pars est intra aquam et pars extra, putatur fractus, aut cum putamus quod visus noster vultus nostros inveniat in speculo, et cum multa alia nobis aliter videntur visus et alii sensus renuntiare, quam sint, non culpa sensuum est, qui renuntiant quod possunt, quoniam ita posse acceperunt, sed iudicio animae imputandum est, quod non bene discernit quid possint illi aut quid debeant."[6]) Mens vero quamvis possit errare, plus quam

---

1) Monol. c. 66.
2) Lib. de fide trinit. c. 3.
3) Monol. c. 72.
4) Eadmer. lib. de S. Anselm. similitud. c. 172.
5) Proslog. c. 13.
6) Dial. de verit. c. 6.

sensus percipit; rei enim essentiam novit, cum exprimat in ipsa sua cogitatione eius similitudinem. „Quod quanto verius facit, tanto rem ipsam verius cogitat.“[1]) Deinde abstrahendo vel componendo acquirit notas communes necessariasque, quibus rei essentiae notio continetur, cumque sint essentiae rerum mutabilium creatae, ac priusquam fierent cogitatae ab eo, qui est summa essentia et veritas immutabilis, perspicit mens in rebus veritatem neque loco neque tempore neque linguis variis variatam.[2])

Postremo mens, cum se ipsam et res sibi obvias cognoverit, ascendit ad eius cognitionem, qui est summa veritas et omnium, quae existunt rerum causa efficiens quam dicunt et exemplaris. Rerum variarum cum inveniamus alias aliis meliores maioresque, facile nobis persuademus, eas non per se existere sed per aliud, quod est optimum, maximum.[3]) Praeterea quidquid existit, quoniam per nihil aliquid fieri nequit, per aliquid existit. Cum igitur omnia per aliquid existant, efficitur aut esse unum, aut plura, per quae cuncta quae sunt, existant. Plura autem omnium rerum principia reiicere coacti non possumus, quin unum aliquid, per quod sint omnia, statuamus.[4]) S. Doctor, postquam ex rebus existentibus causam omnium Deum esse demonstravit, simpliciorem ac faciliorem Dei existentiae probandae modum invenire enixe studuit atque ex sola entis perfectissimi notione eius existentiam putavit evinci posse. „Convincitur ergo etiam insipiens esse, vel in intellectu aliquid, quo nihil maius cogitari potest, quia hoc cum audit intelligit, et quidquid intelligitur in intellectu est. Et certe id, quo maius cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim vel in intellectu solo est, potest cogitari esse et in re; quod maius est. Si ergo id quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari

---

[1]) Monol. c. 36.
[2]) Monol. c. 8.
[3]) Monol. c. 1—2.
[4]) Monol. c. 3.

potest; et certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo maius cogitari non valet, et in intellectu et in re."[1]) Quod quidem argumentum, quod dicunt ontologicum, quamvis subtiliter excogitatum acriterque defensum, quoniam existendi confundit cum cogitandi ordine, vim probandi non habet. — Mens autem humana cum fidei lumine careat non modo Dei existentiam demonstrare, verum etiam eius essentiam quodammodo perspicere potest. Uberius S. Doctor in Monologio suo disserit de Dei attributis, de ratione, quae intercedit inter Deum et creaturam, et de rationalis creaturae erga Deum officiis.[2]) Ex iis quae exposuimus luce clarius apparet, S. Anselmum rationi sibi ipsi relictae amplum orbem, mundum ut ita dicam triplicem, interiorem, exteriorem, superiorem perscrutandum reliquisse. — Sed restat gravis objectio refellenda, quod S. Doctor rationi quidem concesserit propriam et amplam ad verum cognoscendum provinciam, at non eidem intra fines eius procedendi plenam libertatem. Ratio enim, si quid excogitaverit fidei oppositum, nonne ut falsum reiicere cogitur? Absque dubio. Identidem affirmat S. Anselmus, quidquid repugnet sacrae Scripturae vel Ecclesiae doctrinae, omnino falsum esse. „Certus sum enim, si quid dico quod sacrae Scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est, nec illud tenere volo si cognovero."[3]) „Nullus Christianus debet disputare quomodo quod ecclesia catholica corde credit et ore confitetur, non sit, sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo humiliter quantum potest quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum."[4]) In hac quidem re omnes medii aevi doctores consentiunt

---

[1]) Prosl. c. 2. cf. Apol. cont. Gaunil. c. 1.

[2]) „Clarum est ergo rationalem creaturam totum suum posse et velle ad memorandum et intelligendum et amandum summum bonum impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere." Monol. c. 68.

[3]) Cur Deus homo I, 18. cf. ibid. I, 2.

[4]) De fide trinit. c. 2.

cum S. Anselmo, atque debent consentire, quicunque verum cognoscere sincere student. Verum enim cum vero pugnare non potest. Quisquis igitur quae revelatione divina continentur doctrinas veras esse persuasum habet, eum quas forte his contrarias ratione excogitaverit, falsas esse necesse est confiteri. Quae cum ita sint, ratio in perscrutando vero non impeditur, sed potius adiuvatur. Nam cum viam ad verum assequendum tenere studeat, mirum quantum prohibetur, ne aberret, si iam terminum eius cognitum habet. Hoc modo revelatio divina ei quasi quaedam dux data est, quo facilius ab errore prohibeatur. Similiter res se habet in rebus naturae indagandis. Ratio ipsa omnino libere inquirere potest, res sensibus obiectae quid sibi velint, quomodo inter se connexae concatenataeque sint, quibus legibus dirigantur, et quae sunt eiusdem generis. Sin antem iam res quaedam et leges naturae sunt patefactae, ratio his, quominus omnino libere progrediatur, impedita videtur, sed revera ad verum consequendum adiuvatur. Ut Hegelius olim ipsa cogitatione plures planetas quam tunc notos esse non posse sibi persuaserat. Quid cum paulo post novum planetam detectum esse accepisset, nonne eum in rationis usu sese coercitum sentire necesse erat? Immo vero se adiutum in vero perspiciendo videbat. Eodem modo revelatio divina rationem propriis viribus propriaque methodo inquirentem non impedit sed adiuvat ad verum reperiendum. Sed forsitan quispiam obiecerit, res legesve in naturae ordine repertas veras esse certasque rationem sibi posse persuadere, non vero res, quas vocant supernaturales. Minime est dubium, quin ratio rebus illis naturae detectis, nisi veras esse persuasum habeat, neque impediatur neque adiuvetur. Neque vero aliter res se habet in rebus revelatis. Rationis enim est, sitne aliqua res revelata necne, inquirere. Cum S. Augustino dicente: „Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit, esse credendum,“ [1]) consentit „alter Augustinus,“ Anselmus, qui rationem et prin-

---

[1]) De praedest. c. 2.

cipem et iudicem omnium praedicat, quae sunt in homine,[1] omnesque ecclesiae Doctores.[2] Si quis igitur aliquam rem revelatam esse sibi persuadere forte nequit, is in vero inquirendo neque impeditur revelatione neque adiuvatur, eique quod ratio fide coerceatur, queri non licet. „Veritas“ — sunt Salvatoris verba — „liberabit vos.“[3] Veritas fidei luce rationi impertita hanc non coercet, sed ad verum assequendum multo reddit aptiorem.

Jam cum quem intellectum secundum S. Anselmum fides non praecedat, perspexerimus, altera commentationis parte, quem intellectum fides praecedat, investigemus.

---

1) De fide trinit. c. 2.

2) „Non enim crederet homo, nisi videret ea esse credenda.“ S. Thom. sum. theol. II, 2. q. 1. a. 4. ad 2.

3) Evang. Ioan. VIII, 32.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IOS. SCHWANE Dr. 1. dogmaticam de creatione mundi bis docebit per hebd.; 2. dogmaticam de gratia et praedestinatione docebit ter per hebd.; 3. ex theologia morali speciali doctrinam de iustitia et virtutibus officiisque ei affinibus tractare perget bis per hebd.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docere perget ter per hebd.; 2. ius matrimonii docebit ter per hebd.

PETR. FUNCKE. 1. doctrinam de administratione sacramenti poenitentiae tradet quater per hebd.; 2. ritus sacramentalium exponet bis per hebd.

MAX. SDRALEK Dr. 1. historiam ecclesiae inde a saeculo XVI enarrabit quinquies per hebd.; 2. historiae artis christianae partem alteram exponet semel per hebd.

ALOYSIUS SCHAEFER Dr. 1. evangelium secundum Lucam interpretabitur quater per hebd.; 2. introductionem in libros N. T. tradet bis per hebd.; 3. exercitationes exegeticas moderabitur semel per hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

BERN. SCHAEFER Dr. 1. archaeologiam sacram docebit ter per hebd.; 2. librum Ezechielis prophetae interpretabitur ter per hebd.

BERN. FECHTRUP Lic. 1. historiae ecclesiae partem secundam

enarrabit quinquies per hebd.; 2. de antiquitatibus christianis disseret bis per hebd.

ERNEST. COMMER Dr. 1. apologeticam revelationis et ecclesiae tradet quater per hebd.; 2. de arte religione christiana imbuta disputabit semel per hebd.

3. Privatim docentis.

IOS. BAUTZ Lic. 1. doctrinam dogmaticam de Deo creatore explicabit quater per hebd.; 2. apologeticae christianae partem primam docebit ter per hebd.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. *privatim* de calore docebit quinquies per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes physicas per ternas horas in laboratorio physico instituet ter per hebd.

ANT. KARSCH Dr. *publice* excursiones botanicas instituet semel per hebd. per senas horas postmeridianas; *privatim* 1. phytologiam generalem docebit ter per hebd.; 2. phytologiam systematicam tradet ter per hebd.

GUIL. STORCK Dr. *publice* Gudrunniadem explicabit bis per hebd.; *privatim* grammaticam linguae Goticae tradet quater per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. *publice* 1. topographiam urbis Romae docebit bis per hebd.; 2. in seminario philologico secundum Ciceronis de finibus librum explicandum proponet bis per hebd.; *privatim* Horatii satiras et epistolas selectas interpretabitur quater per hebd.

IO. MATTH. STAHL Dr. *publice* 1. de rationibus docendi gymnasiorum disciplinae adhibendis disseret bis per hebd.; 2. sodalibus seminarii philologici ordinariis Aeschinis in Ctesiphontem orationem interpretandam proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd.; 3. eiusdem seminarii sodales extraordinarios interpretandis et Graece vertendis selectis Livii orationibus exercebit semel per hebd.; *privatim* Sophoclis Electram interpretabitur quater per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. *publice* geologiam Germaniae inter occidentem et septentriones sitae exponet bis per hebd.; *privatim* mineralogiae partem primam docebit quinquies per hebd.

PAUL. BACHMANN Dr. *publice* seminarii mathematici exercitationes moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* 1. serierum trigonometricarum et theoriam et usum explicabit ter per hebd.; 2. de attractione corporum disseret ter per hebd.

GID. SPICKER Dr. *publice* 1. psychologiam et logicam tradet bis per hebd.; 2. disputationes philosophicas instituet semel per hebd.; *privatim* historiam philosophiae graecae docebit quater per hebd.

THEOD. LINDNER Dr. *publice* exercitationes seminarii historici binis per hebd. horis moderabitur; *privatim* historiam universam saeculi XVII et XVIII docebit quater per hebd.

GUST. KOERTING Dr. *publice* 1. introductionem in philologiam romanensem tradet bis per hebd.; 2. seminarii romanensis et anglici exercitationes moderabitur ter per hebd.; *privatim* 1. de vocum francogallicarum formatione, significatione, distinctione disseret quater per hebd.; 2. syntaxis anglicae capita selecta tractabit quater per hebd.

BERN. NIEHUES Dr. *publice* 1. historiae aevi revolutionis partem alteram narrabit bis per hebd.; 2. exercitationes seminarii hi-

storici moderabitur bis per hebd.; *privatim* historiam Romanorum ab anno trecentesimo a. Chr. n. docebit quater per hebd.

RUD. STURM Dr. *publice* exercitationes seminarii mathematici moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* 1. curvas algebraicas planas superiorum ordinum tractabit quater per hebd.; 2. staticen docebit ter per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. *publice* chemiam analyticam tractabit bis per hebd.; *privatim* 1. chemiae organicae partem alteram sive de corporibus aromaticis docebit ter per hebd.; *privatissime* exercitationes in laboratorio chemico cottidie moderabitur senas per horas.

GEORG. HAGEMANN Dr. *publice* historiam philosophiae medii aevi tractabit ter per hebd.; *privatim* 1. logicam et noëticam tradet quater per hebd.; 2. metaphysicam docebit quater per hebd.

OSC. BREFELD Dr. *publice* demonstrationes botanicas in horto botanico instituet semel per hebd.; *privatim* botanicen systematicam (specialem) plantarum evolutionis historia illustrandam docebit quinquies per hebd.; *privatissime* disquisitiones botanicas in laboratorio botanico moderabitur.

IOS. NORDHOFF Dr. *publice* vitam et opera Michaelis Angeli demonstrabit bis per hebd.; *privatim* historiam artium elegantiorum universalem medii aevi tradet ter per hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

ADALB. PARMET Dr. *publice* Sophoclis Antigonam interpretabitur ter per hebd.; *privatim* Horatii epistolarum librum II explicabit ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. *publice* excursiones et exercitationes practicas ad zoologiam spectantes instituet quinquies per hebd.; *privatim* 1. entomologiam tractabit ter per hebd.; 2. evolutionis animalium historiam tractabit ter per hebd.

LAD. DE OCHENKOWSKI Dr. *publice* historiam oeconomiae, quae medio aevo apud Germanos florebat, enarrabit semel per hebd.; *privatim* 1. theoriam rei financiariae (partem de vectigalibus) exponet bis per hebd.; 2. doctrinam de statu rei publicae tradet semel per hebd.; 3. exercitationes ad oeconomiam publicam spectantes moderabitur semel per hebd.

CHRIST. BARTHOLOMAE Dr. *publice* 1. introductionem in grammaticam linguarum indogermanicarum comparatam tradet semel per hebd.; 2. exercitationes sanscriticas instituet semel per hebd.; *privatim* linguae sanscriticae grammaticam tradet quater per hebd.

ARTH. MILCHHOEFER Dr. *publice* de urbe Pompeianorum disseret semel per hebd.; *privatim* 1. antiquitates graecas e monumentis explicabit bis per hebd.; 2. topographiam et monumenta Graecorum enarrabit bis per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes archaeologicas moderabitur semel per hebd.

RICH. LEHMANN Dr. *publice* de regionibus arcticis et antarcticis disseret semel per hebd.; *privatim* geographiam Europae meridionalis et Francogalliae tradet ter per hebd.

3. Privatim docentium.

GEORG. HUEFFER Dr. *privatim* historiam Germaniae inde ab Henrico I usque ad medium saeculum XIII tradet ter per hebd.

IAC. ECKER Dr. *publice* grammaticae syriacae elementa exponet et capita N. T. selecta interpretanda proponet bis per hebd.; *privatim* 1. grammaticam hebraicam docebit binis per hebd. scholis; 2. librum Iosue cum commilitonibus leget bis per hebd.; 3. proverbiorum librum exponet bis per hebd.; *privatissime et gratis* Mischnam explicabit semel per hebd.

EUG. EINENKEL Dr. *privatim* litterarum anglicarum historiam inde ab originibus usque ad Chaucerum poetam enarrabit ter per hebd.

LUD. WUELLNER Dr. *publice* de Lessingi vita et operibus disseret bis per hebd.; *privatissime* exercitationes Germanicas moderabitur bis per hebd.

FRANC. IOSTES Dr. *publice* exercitationes Germanicas moderabitur bis per hebd.; *privatim* litterarum Germanicarum historiam antiquiorem enarrabit quater per hebd.

4. Lectorum academicorum.

IUL. O. GRIMM Dr. et professor, *publice* 1. exercitationes cantus chorici instituet semel per hebd.; 2. exercitationes harmonicas moderabitur semel per hebd.

FRID. SCHMIDT *publice* 1. de cantu chorali Gregoriano disseret semel per hebd.; 2. exercitationes cantus ecclesiae instituet semel per hebd.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Anagnosterium academicum* ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. *Apparatus mathematicus et astronomicus, laboratorium physicum, laboratorium chemicum, laboratorium botanicum, museum mineralogicum et zoologicum, collectio anatomica, museum archaeologicum et apparatus archaeologicus, apparatus geographicus, hortus* denique *botanicus* studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros quibus earum rerum demandata est cura rite adierint.

De seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL dictum est, de seminario historico sub nominibus profess. ord. LINDNER et NIEHUES, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. BACHMANN et STURM, de seminario romanensi et anglico sub nomine profess. ordin. KOERTING.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8	SCHAEFER P. E., antiquitates sacrae V. T. (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, interpret. libri Ezechielis prophet. (4. 5. 6.) Nro. II.	KARSCH P. O., phytolog. gen. (1. 2. 3.) aud. zool. Idem, phytolog. system. (4. 5. 6.) aud. zool. STORCK P. O., gramm. Got. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, exerc. germ. (6.) Nro. IV.
8—9	SCHWANE P. O., dogm. de creatione mundi (1. 2.) Nro. II. Idem, dogm. de gratia et praedestinatione (3. 4. 5.) Nro. II. Idem, theol. moralis p. spec. de iustitia et virtutibus affinibus (6.) Nr. II.	STORCK P. O., Gudrun. (3. 6.) Nro. IV. LANGEN P. O., Hor. sat. et epist. (1. 2. 4. 5.) Nro. III. HOSIUS P. O., mineralog. p. I. (1. 2. 3. 4. 5.) mus. min. STURM P. O., statice. (6.) Nro. IX. HAGEMANN P. O., metaphys. (1. 2. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, logic. et noët. (3. 6.) Nr. VIII. HUEFFER P. D., hist. Germ. saec. X—XIII (4. 5. 6.) Nro. VI.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
9—10	FUNCKE P. O., administratio sacram. poenitentiae (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, de sacramentalibus (5. 6.) Nro. II.	LANGEN P. O., toprogr. urbis Romae (1. 4.) Nro. III. Idem, seminar. philol. (2. 5.) Nro. I. LINDNER P. O., hist. saec. XVII et XVIII (2. 3. 5. 6.) Nro. V. STURM P. O., curv. super. ord. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. Idem, statice (3. 6.) Nro. IX. HAGEMANN P. O., logic. (2. 4.) Nro. VIII. Idem, hist. phil. (3. 5. 6.) Nro. VIII. PARMET P. E., Sophocl. Antigon. (1. 2. 3.) Nro. VI. LEHMANN P. E., geogr. Europ. meridional. et Francogalliae (1. 4.) in aud. geogr. IOSTES P. D., exercit. germ. (3.) Nro. I.
10—11	HARTMANN P. O., ius matrimon. (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, ius ecclesiast. (4. 5. 6.) Nr. II.	SPICKER P. O., hist. philos. graec. (1. 2. 3.) Nro. IV. NIEHUES P. O., hist. Rom. (4. 5. 6.) Nro. III.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11		NIEHUES P. O., hist. revol. p. II (2. 3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., chem. organ. p. II (2. 4. 5.) aud chem. II. Idem, chem. analyt. (3. 6.) aud. chem. I. Idem, exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) PARMET P. E., Horat. epist. lib. II (1. 2. 3.) Nro. VI. LANDOIS P. E., entomolog. (1. 3. 5.) aud. zool. Idem, evolutionis animalium hist. (2. 4. 6.) aud. zool. MILCHHOEFER P. E., topogr. Graeciae (1. 4.) Nro. V. Idem, antiquitates graec. (2. 5.) Nro. V. Idem, de urbe Pompeianorum (3.) Nro. V. Idem, exerc. archaeol. in mus. archaeol. LEHMANN P. E., geogr. Europ. meridional. et Francogalliae (3.) in aud. geogr. EINENKEL P. D., litterarum anglic. hist. (4. 5. 6.) Nro. VI.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11		IOSTES P. D., hist. litt. Germ. antiq. (1. 2. 4. 5.) Nro. I. Idem, exercit. germ. (3.) Nro. I.
11—12	SCHWANE P. O., theolog. moralis pars spec. de iustitia et virtutibus affinibus (2.) Nro. II. A. SCHAEFER P. O., interpret. evang. sec. Luc. (1. 3. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, exerc. exeget. (6.) Nro. VIII. COMMER P. E., apolog. (2. 3.) Nro. VII (4. 5.) Nro. III. Idem, de nexu inter religionem Christ. et artes liberales (1.) Nro. VII.	STAHL P. O., seminar. philol. (1. 4.) Nro. I. Idem, de rat. docendi (2. 5.) Nro. IV. BACHMANN P. O., ser. trigonom. (1. 2. 3.) Nro. IX. Idem, attract. corporum (4. 5. 6) Nro. IX. SPICKER P. O., hist. philos. graec. (6.) Nro. VII. Idem, log. et psycholog. (4. 5.) Nro. VII. KOERTING P. O., synt. angl. cap. sel. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, exercit. seminar. rom. et angl. (6.) Nro. V. NIEHUES P. O., hist. Rom. (3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) WUELLNER P. D., de Lessingi vita et oper. (3. 6) Nro. IV.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1	SDRALEK P. O., hist. eccles. inde a reformatione (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, de antiquit. art. christ. (6.) Nro. VIII. FECHTRUP P. E., hist. eccles. pars II (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. II.	HITTORF P. O., de calore (1. 2. 3. 4. 5.) aud. phys. STAHL P. O., Sophoclis El. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. Idem, seminar. philol. (3.) Nro. I. KOERTING P. O., de vocum francogall. formatione (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, introd. in philol. rom. (3. 6.) Nro. V. SALKOWSKI P. O., exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., de vita et oper. Mich. Angeli (3. 4.) Nro. VII. Idem, hist. univers. artium elegant. medii aevi (2. 5. 6.) Nro. VII. DE OCHENKOWSKI P. E., de statu rei publ. (4.) Nro. I. Idem, theor. rei fin. (5. 6.) Nro. I.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
2—3		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.)
3—4	BAUTZ P. D., dogm. de Deo creatore (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, apolog. christ. (5.) Nro. II.	KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) LINDNER P. O., seminar. hist. (6.) Nro. V. NIEHUES P. O., seminar. hist. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.)
4—5	A. SCHAEFER P. O., introd. in libros N. T. (2. 5.) Nro. VIII. FECHTRUP P. E., antiquit. christ. (1. 3.) Nro. II. BAUTZ P. D., apolog. christ. (3.) Nro. VII. (4.) Nro. II.	HITTORF P. O., exercit. phys. (1. 3. 5.) aud. phys. KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) HOSIUS P. O., geolog. Germ. septentrional. (2. 4.) mus. min. BACHMANN P. O., sem. math. (1.) Nro. IX. LINDNER P. O., seminar. hist. (6.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) NIEHUES P. O., seminar. hist. (4.) Nro. III. STURM P. O., seminar. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) DE OCHENKOWSKI P. E., hist. oecon. (3.) Nro. I.
5—6		HITTORF P. O., exercit. phys. (1. 3. 5.) aud. phys. KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) BACHMANN P. O., seminar. math. (1.) Nro. IX. KOERTING P. O., exercit. seminar. rom. et angl. (3.) Nro. V. STURM P. O., sem. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercit. in laborat. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) LEHMANN P. E., de regionibus arcticis et antarcticis (5.) in aud. geogr.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
6—7		HITTORF P. O., exercit. phys. (1. 3. 5.) aud. phys. KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) KOERTING P. O., exercit. seminar. rom. et angl. (3.) Nro. V. BREFELD P. O., botan. system. (special.) (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IX. LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.) DE OCHENKOWSKI P. E., exercit. ad oeconomiam publ. pertinentes. (4.) Nro. I.
7—8		KARSCH P. O., excurs. bot. (6.) LANDOIS P. E., excurs. zool. (4.)

HORIS POSTEA INDICANDIS.

BREFELD P. O., demonstr. botan.

Idem, disquisitiones botan. in labor. botan.

BARTHOLOMAE P. E., introd. in gramm. linguarum germanic. comparatam.

Idem, exercit. sanscrit.

Idem, gramm. sanscrit.

ECKER P. D., gramm. syriacae elem.

Idem, gramm. hebr.

Idem, Iosue.

Idem, proverbiorum lib.

Idem, Mischnae cap. selecta.

WUELLNER P. D., exercit. Germ.

GRIMM L., exercit. harmon.

Idem, exercit. cant. chor.

SCHMIDT L., de cantu chor. Gregor.

Idem, exercit. cantus eccles.

DEITERS, C., valetudine impeditus lectiones non habebit.

10476